



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 122. An Episcopus vel Capitulum possit Beneficio addere nova onera;
vel circa Beneficium facere nova statuta aut conditiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

finem, sub conditione, ut si finis obtineri non posset, redirent ad dispositionem suam, & interea moriatur, potest eo mortuo adhuc per proportionatum tempus à Judice limitandum sollicitari finis, uti habent *Lop. Covarr. & alii cum Sanch.* in Conf. l. 4. c. 1. d. 56. n. 3. & 8. Quòd si finis ille omnino obtineri non possit, summa donata non cedit hæredi, sed convertenda est ad alium usum pium, uti habet communis cum *Sanch.* c. 2. d. 4. & *Barb.* de pot. Ep. alleg. 83. n. 4., quia sibi soli reservavit dispositionem de illa, & præsumitur absolutè destinasse ad pium usum & ad utilitatem animæ suæ potiùs quàm hæredis: possuntque sic convertere Episcopus & Executores, semper attendendo, ut talem pium usum eligant, qui maximè accedat ad mentem Titii, uti habetur in *Trid.* Ses. 25. c. 8. de Ref., & in exemplo ostendit *Lugo* in Resp. Mor. l. 4. d. 32.

§. V. Dum fit commutatio piæ voluntatis defuncti, aliqui affirmant, alii negant requiri consensum hæredis; & putant plures apud *Barb.* n. 6. sufficere consensum Ecclesiæ, cui legabatur. Quid possit Societas J E S U circa immutationem voluntatis testatorum, vide novum comp. privil. v. alienatio §. 5.

Q. 122. An Episcopus vel Capitulum possit beneficio addere nova onera; vel circa beneficium facere nova statuta aut conditiones. R. An possint addi nova onera, videri debent dicta à n. 669. An autem & quando Episcopus possit cogere Clericos ad charitativum subsidium, videri potest *Barb.* de potest. Episc. alleg. 87., item *Piassec.* de jurisd. Episc. pag. 185. à n. 12., ubi dicit, quando causa est rationabilis & manifesta, posse illud peti, attamen debere accedere consensum Capituli & Cleri. Quoad nova statuta vel conditiones, docet cum multis aliis

Passer. de Elect. c. 2. à n. 45. posse etiam à Capitulis fieri statuta, v. g. ut à beneficiis sui Capituli excludatur certum genus personarum; & idem est de aliis similibus: sed si hoc sit contra foundationem, tenendum est oppositum, secundum dicta à n. 840. Si autem sit tantum præter foundationem, adhuc dicendum est, quòd talia statuta non ligent Papam, si conferat in alternis suis mensibus, quia statuta particularis Ecclesie non possunt præjudicare quæsto juri S. Sedis & libertati antiquæ conferendi.

§ 52

Q. 123. *An possit præscribi contra vel ultra onera ac conditiones in foundationibus appostas R.*

§. I. Si præscriptio sit immemorialis, valet contra onera ac conditiones, non ex vi præscriptionis præcisè, sed quia cum hac præsumitur & allegari potest quivis titulus, secundum dicta l. 3. p. 2. n. 543. quodnam autem tempus sit immemoriale, dictum est ibid. n. 520. Si præscriptio non sit immemorialis, major est difficultas, nam 1. quamvis in præscriptione longissimi temporis quandoque præsumi possit titulus, secundum dicta ibid. n. 500., tamen hic præsumi non poterit bona fides, quæ simul ad esse deberet, beneficiatus enim præsumi debet ex fundatione cognovisse leges beneficii, adeoque malà fide neglexisse, nisi ostendat dispensationem vel privilegium. 2. Primæva fundatio habet majorem vim, quàm consuetudo vel privilegium, *Corr.* l. 2. c. 10. n. 90. Nec illi per ordinarias præscriptiones derogari potest, eò quòd *Trid.* Sess. 25. c. 5. de Ref. vetans derogari foundationibus, & Bulla *Pii IV.* confirmans *Trid.*, contineant decretum irritans, quidquid contra factum fuerit, ergo impediunt colorem tituli & possessionem, ergo præscriptionem ordinariam in contrarium, secundum dicta n. 657. *Nec obstat*, 1. Quòd in beneficiis ultimus status sit attendendus,

uti